

1447

infecta re, jussi sunt abire. Patres, quia ingens bellum cum Sforcia & Mediolanensibus instare videbant, validissimam classem per Padi fluenta ad intima Galliæ adigendam decernunt: triremes quatuor, galeones duos ac triginta; his Andreas Quirinus, triremibus Georgius Lauretanus sunt praefecti. Dum hæc Venetiis aguntur, Sforcia, omni fere Galliæ militiæ robore in unum contracto, Placentiam suita oppugnatione adoritur: demolita murorum parte inter Lazari & Raimundi portas, Padoque ad id sub autumni exitum ita stagnante, ut hostium navigia mœnibus facile appellerentur, terrestri navalique pugna urbem cepit, captam militi tradidit diripiendam. Gerardus Dandulus & Thaddæus Æstensis, qui ibi praesidio cum mille peditibus, atque equitatu non parvo erant, in hostium potestatem venere: hic cum arce & praesidio per deditonem, ille ex fuga, quam perditis rebus præoccuparat, retractus. Interim vero dum Placentia oppugnabatur, Attendulus, Abdua ad Columbanum superato, tumultuose in Ticinensem agrum erupit, unde ingens præda abducta est. Inde ad Sforciam praesenti negocio avertendum, in Mediolanensem agrum prædabundus transiit: ubi apud quosdam reperio Melcium ab eo occupatum. Adjecerat & animum, nisi Placentia tam cito capta esset, ad Cremonam oppugnandam. Marcellus per id tempus ex castris revocatus Venetias abiit. Alovius Lauretanus & Matthæus Victurius, eo abeunte, legati in provinciam venere. Et quia jam bruma instabat, ob hyemis magnitudinem castra fieri non potuerunt: hybernacula villæ ac vici Veneto exhibuere: quibus militari seditione Respublica pene in discrimen adducta est.

Tentata iterum pax: ad quam componendam Veneti Mediolanensiumque legati Bergomum convenere; Insubribus Laudem reposcentibus, Venetis contra, nisi bellorum sumptibus esset satisfactum, eam se reddituros negantibus. Et quanquam Florentinorum Nicolaique Pontificis Legati multa precati, utrosque ad pacem hortarentur, nulla tamen secuta est. Sub vernum tempus eti Patres toti in

*Placentia  
expugnatur  
& diripiatur  
a Sforcia.*